



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Thelogi, Tractatvs  
Tres spirituales**

**Arias, Francisco**

**Coloniae, 1615**

17. De eodem mortificando, quoad visiones & apparitiones, ne facilè eis  
fides præstetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](#)

orbe sparsa cum suis fluctibus, accessu  
& recessu, aerem cum nubibus & ven-  
tis, ac denique volucrum omnis gene-  
ris & piscium infinitum exercitum. His  
Dei operibus, in quibus diuina eius  
prudentia, potentia, sapientia, boni-  
tasque mirabiliter elucet, contemplan-  
dis homo, ut se ad maiorem Dei no-  
titiam & amorem inflammet, vacare  
potest. Quod si vero etiam oculis men-  
tis, quod fit oratione mentali, lu-  
strare velit Dei opera, tum veras de-  
licias & voluptates offendet. Hæc o-  
mnia ille.

C A P V T XVII.

Quemadmodum mortificandus sit visus, quo-  
ad visiones & apparitiones, ne facile  
fides eis præstetur.

**S**icut mortificamus intellectum,  
qui animi oculus est, non fidendo  
illi in multis, quæ tamen veritati  
congruentia videntur, ut diximus de  
mortificatione proprii iudicij; sic mor-  
tificare debemus oculos corporis, ne  
semper illis fidamus. Nam, ut visus non  
fallatur circa suum obiectum, & ratio  
djudicet eum non falli, nonnullæ re-  
quiruntur conditiones, cuiusmodi sunt,

T 7 san-

sanitas & bona dispositio organi, quies  
oculorum, medium clarum, vnfiforme,  
& non impeditum, distantia ab obiecto  
visui proportionata, ac denique tem-  
pus exercendæ visioni accommoda-  
tum. Nam si aliqua harum conditio-  
num desit, facile errabit oculus, & cum  
eo, si consentiat, ratio. Ut si organum  
visus humore aliquo infectum sit, om-  
nia apparent humoris similia, ut viridi  
viridia, rubeo rubea, nigro, omnia mu-  
scis plena; sicut si per vitrum varijs co-  
loris spectes, omnia vario colore tin-  
cta apparent, si bacillum per aquam, ob-  
motum aquæ, apparer curuus vel sta-  
tus. Sic si magnum intercedat inter-  
uallum res maximæ videntur paruæ,  
& quæ celerrimè mouentur, videntur  
fixæ & immobiles, vt liquet de cœlesti-  
bus astris, quorum cum quædam lon-  
gissimè superent magnitudinem ter-  
ræ, & velocissimè agitantur, tamen  
speciem præbent tantum huminis can-  
delæ in cœlo fixæ, nec motæ. Atque  
hic error visus, omnibus exploratus est  
& notus. Sunt autem & alij sapienti-  
bus tantum, & exercitatis perspecti,  
quos opus est detegere, vt visionum  
spiritualium errata facilius nobis inno-  
tescant.

Etc.

Etenim sunt homines nonnulli, qui aut morbi, aut complexionis naturalis vitio valde sunt melancholici, & ob humores crassos, ac pestilentes in cerebrum subiectos tam vehementes patientur imaginationes; ut quod intus cogitant, foris etiam externis oculis sibi videre videantur, siue sint res, ad quas impensè afficiuntur, ut sunt parentes, amici, Sancti quoque, vel angelii, vel homines, quos in precibus inuocare solent, siue sint res, quas horrunt, vel detestantur, ut sunt hostes infesti, dæmones, spectra. Sic videamus auaros, pecunijsque addictos, ad minimum nocturnum strepitum vere-ri, ne fures domum inuaserint, impios & male consciens ad cuiusvis hominis occursum, metuere ne à iustitiæ mini-  
stris rapiantur ad carceres. Hæc non *Claud Cœle-*  
*solum Philosophi, & artis medicæ gna-* *stin. de his,*  
*ri affirmant, sed experientia ipsa quo-* *que mirè e-*  
*que & ratio confirmat. Videmus enim uenient.*  
dormientes somniare, quæ imaginantur; ac arbitrari se oculis cernere, quæ somniant, tamen cum iudicium sopore ligatum sit, aperte hallucinantur. *Quod ergo facit somnus in omnibus, hoc vehementis imaginatio facit in quibusdam non dormientibus, vt*  
nem-

nempe iudicium humorum densitate  
sic constringatur, & obruatur, ut sicut  
in somno, attendere non queat ad ob-  
iecta externa, & tamen cernere videan-  
tur, antequam videant. Idque accidit  
proclius, in foeninis, & alijs ætate pa-  
rum proiectis, qui acriori imaginatio-  
ne facilius in fraudem induci solent,  
quam in viris prudentibus, in quibus  
rarò humores isti noxi dominantur.

Quotquot ergo deprehenduntur pra-  
uis istis humoribus obnoxij, vel debi-  
tioris cerebri monendi sunt serio, ne  
facile fidem præstent visis angelorum,  
dæmonum, spirituum, & Sanctorum,  
sed cogitent perinde ea se obiscere ocul-  
is, ac phreneticis, & ardentib[us] febre la-  
borantibus se offerunt miranda, que  
vbi reualuerint, aduertunt nihil om-  
nino fuisse. Si verò adhuc dubitent de  
visorum veritate, consulat Patres suos  
spirituales, vel alios in hac materia  
exercitatos, eorumque iudicio acqui-  
escant. Nam vt aliquando vera sint, ta-  
men approbanda non sunt, & acce-  
ptanda, nisi antegresso exa-  
mine & sententia  
illorum.

CA-